



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 19. Circa celebrandæ Missæ tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

CAPVT XIX.

Circa celebrandæ Missæ tempus.

PROBL. XXXIII.

*Ex vi solius Ordinationis Sacerdos tenetur, & non tenetur, aliquando celebrare.*280
Tenetur aliquando celebrare.

SECUNDO munere Parochi, vel Beneficiati, vel Capellani, ex vi solius Ordinationis tenetur Sacerdos, aliquando celebrare. Quia datur præceptum positivum divinum desumptum ex verbis Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus (inquit Tridentin. sess. 22. cap. 1.) Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcipit, ut Ecclesia semper intellexit, & docuit. Quod idem definit *Can. 2.* Cum autem omnes, & singuli Sacerdotes sint Apostolorum in Sacerdotio successores: hoc præceptum ad omnes & singulos dirigi videtur. Sic Antonin. Richard. Durand. uterque Sorus, Gabr. Nauar. Ledesm. quos sequitur Vasq. dist. 232. c. 1. Suar. dist. 82. sect. 2. Bonac. dist. 4. quest. ultim. punct. 7. num. 1. Coninch quest. 83. num. 206. Reginald. lib. 29. num. 166. Glossa cum lustris in cap. *Dolentes*, & faveat ille textus, dum inter alia peccata quorundam Sacerdotum enumerat, quod vix quater in anno celebrabant.

281
Non tenetur.

Secundo scandalo, & contemptu, non tenetur Sacerdos ex vi Ordinationis nunquam celebrare. Quia nullum datur præceptum obligans singulos Sacerdotes ad celebrandum: Ergo non tenentur. Antecedens patet; quia si daretur præceptum, vel esset naturale, vel positivum divinum, aut humanum: sed nullum istorum reperitur: ergo nullum datur. Probo minorem. Non datur naturale præceptum ex officio Sacerdotij proveniens; quoniam ex potestate quidquam faciendi, non oritur naturale præceptum id ipsum agendi citra casum urgentis necessitatis. Non colligitur præceptum positivum divinum ex verbis *Lucæ 22.* & Tridentini sess. 22. cap. 1. Nam manifestè constat, potestatem eis ibi datam, non præceptum impositum. Quippe singulis Sacerdotibus data fuit potestas offerendi singulis diebus: & tamen non iubetur singuli celebrare diebus singulis. Ergo solum præcipitur, ut Ecclesia communis frequenter colat Deum celebratione Missarum, sicut decet Rempublicam Christianam prudenter, ac religiose constitutam. Denique non colligitur præceptum humanum ex Cap. *Dolentes*, quia non constat, an de Curatis, aut Beneficiatis solum sit accipiendum: imò videtur dirigi dumtaxat ad Ecclesiarum Prælatos, de quibus dixerat, esse nonnullos, qui vix quater in anno celebrabant, & quod deterius est, nec intererant. Nec ad singulos simplices potest extendi, siquidem nunquam apparet præceptum, pluries, quàm quater in anno celebrandi singu-

lis impositum: & ibi carpuntur, qui vix quater in anno celebrabant. Ita Bonavent. in 4. dist. 32. part. 2. art. 2. quest. 1. Alensis 4. part. quest. 11. membr. 2. art. 4. §. 1. Ioan. Sancti. dist. 7. num. 16. Card. de Lugo dist. 20. sect. 1. Manu. in sum. p. 1. cap. 247. num. 4. Probabilem hanc sententiam vocitant Suar. citat. Diana part. 2. ar. 14. resol. 19. Filliuc. Martin. Laym. & alij.

Quid opiner, ostendam. Existimo, utramque sententiam speculative esse æquè probabilem. Pro praxi dixerim, si detur causa iusta non celebrandi per diuturnum tempus non fore peccatum, abstinere. Quamvis enim positum sit Sacerdoti celebrandi præceptum, hoc habebit, sicut alia iustas excusationes. Aut si absque causa iusta Sacerdos à celebratione per diuturnum tempus abstineat, regulariter gravis erit piaculi reus. Quia quidquid sit de principiis intrinsicis obligationis celebrandi, quæ forsam non conuincunt extrinseca principia facis illam suadent. Nam Sacerdos nunquam, vel rarissime celebrans communiter incurrit spirituale detrimentum, periculum libertus delinquendi, & aliorum scandalum, de quo *sect. 1.*

282

Auctoritas placuit.

PROBL. XXXIV.

Sacerdos nunquam celebrans non venialiter, sed mortaliter delinquit: non mortaliter delinquit, sed solum venialiter.

VENIALE peccatum est, non mortale, nunquam celebrare Presbyterum. Quia nunquam celebrans suo sacrificio fraudat Ecclesiam, subindeque peccat contra feruorem charitatis peccato negligentia veniali, seu contra debitum suæ potestatis usum, quo posset Ecclesiam valde prodesse. Sic Victor. Ledesm. Raymund. quos sequitur Ludouic. de San Iuan. part. 1. tract. de Euchar. quest. 5. Caiet. 3. part. quest. 82. art. 10. Hanc sententiam probabilem putat Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 24. q. 1. & ferè consentit Ioan. Sancti. dist. 7. n. 18.

283

Non est mortale.

Mortale peccatum est. Quia posito præcepto, cum materia sit gravis, non minus erit peccatum mortale Sacerdotis nunquam celebrantis, quàm laici non communicantis in Pascha. Ita Doctores communiter. Vnde Vasq. d. 230. num. 40. dicit, non loqui consequenter eos, qui negant hic mortale peccatum, & veniale admittunt: vel enim nullum erit, vel mortale propter materiam gravitatem.

284

Mortale est.

Certè hanc Vasquesij doctrinam refellendam existimo. Quia non omne præceptum etiam circa materiam grauem, grauitè obligat. Sic comedens sæpius in die ieiunii sine necessitate peccat mortaliter contra Ecclesiæ præceptum: verum alio die peccat venialiter contra Temperantiam, cuius præceptum non ita grauitè obligat, ac ieiunii præceptum. Haud aliter posset Sacerdos non celebrando reus esse prodigalitatis spiritualis, & desidii vitiosæ non vrendo talento sibi dato, nec eius lucrum acquirendo: quod non excedit culpam venialem, quamvis materia sit apta secundum se ad grauem obligationem, si grauitè præcipiatur. Verum tamen asseruimus, reum esse mortalis criminis Sacerdotem,

285

Auctoritas sententiam.

dorem, quia quando in anno sine causa sufficienti à facinoroso abstinere offerendo. Scio diffinitio Doctoris circa huius obligationis tempus. Nam quidam Iurista dixerunt, singulis diebus obligari Theologos ad celebrandum: quod metus à Sacrotolis cunctis refellitur. Alij dicunt, totoci saltem in festis præcipuis: unde colligit Nurus debere duodecies in anno celebrare. *Billiue. tract. 5. num. 97. & 99.* ait, sufficere decies. Maior existimat sexies, Paludiquinquies, Sotus, Nauar. Henricj. Layman. & Azor. afferunt, tenei ter, aut quater. Nam olim fideles toties communicare tenebantur. Cum his sentio, nec restringi obligationem ad certos dies, sed quibuscumque vel continuis vel interruptis dum abest scandalum, vel contempnere sufficere cum Azor. Bonacin. & Auctora prodicim.

PROBL. XXXV.

In feſto, quando non eſt aliud ſacrum, quod poſſit audiri: Debet, & non debet Sacerdos celebrare, ut ipſemet præceptum Miſſam audiendi, adimpleat.

186 **D**ebet celebrare. Quia Sacerdos debet tunc
sacrum audire, & audire potest, si velit di-
cere Missam. Sic Manuel in *sum. tom. 1. c. 247.*
num. 6.

187 Celebrare non debet. Quia illud præceptum
per se solum obligat ad Missam audiendam,
quando copia subest audiendi; non autem ad
dicendam illam, cum hoc sit gravius onus ma-
jorem præcepti vim requirens, vt impostum
censeatur. Ita Moure p. 3, cap. 5. §. 8. m. 1.

188 Censurærimo, si nullum addit impedimen-
tum celebrandi, teneri. Quia tunc celebratio
non est tantum onus, ut subiri non debeat, ad
præceptum auditionis implendum.

PROBL. XXXVI.

Mortale est, & mortale non est, Missam
quotidianam, seu Conventualem in
Cathedralibus, vel Collegiatis Eccle-
siis omitti.

189 **M**ortale non est. Quia consuetudo hæc
dicendi Missam quotidie non ita fuit ri-
gorose recepta. Sic Victoria *in summ. num. 9* §
Nec videtur dissentire Diana *part. 2. tract. 14.*
resol. 76.

Mortale est. Quia res, est gravis, magnique
 refertur ad commune bonum fidelium; nec
 omittetur sine gravi scandalo, nec proinde
 sine gravi culpa: nisi forsam ob virgentem, ac ra-
 tionabilem causam, quae nonnunquam fufube-
 re potest, sicut in aliis preceptis positus. Ita Suar.
disp. 2. sect. 2. Sotus in 4. dist. 1. 3. quæst. 2. art. 2.
Filliuc. tract. 5. num. 104. Fagund. præc. 1. lib. 3.
cap. 3. §. num. 9. Manuel tom. 1. Regul. qq. 9. 43.
art. 14.

291 Cum his opinor. Excipio tamen; nisi valde
 hu. gi. fit exiguus Sacerdotum numerus. Tunc enim
 semel aut iterum in hebdomade sacrum omni-

tere, vel nullum, vel faltem non mortale piacu-
lum erit.

PROBL. XXXVII.

*Mortale est, & mortale non est, omitti in
Ecclesiis Regularibus quotidiana
nam Missam.*

E St mortale, quando mediocris est Sacerdotum numerus. Quia hoc maxime conuenit ad commune bonum fidelium : & ad spirituale Fratrū solarium, & ad Religionis decorem. Sic Sotus in 4. diff. 1. 3. quæst. 2. art. 2. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 5. Manuel tom. 1. Regul. qq. quæst. 43. art. 14. Peregrin. in Commentar. ad confit. Theatinor. p. 1. c. 1. tit. E.

Mortale non est. Quia Ecclesiæ Regulares 293
tenentur ad Missam in choro ex vi regulæ tan- *Non est mor-*
tum, & consuetudinis interpretantis regulam: *tale.*

At regula ad mortale non obligat plerumque:
Ergo mortale non erit, in hiſce Eccleſiis Miſſam
ſolemneſſe omitti. Quia verifiſſime non eſt,
inductam fuiſſe conſuetudinem cum intentione
ligandi ſe grauius, quàm Religioſi per ipſam
regulam ligantur. Sed conſuetudo inducta
ſine intentione grauiſ obligationis non obligat
grauiter: Ergo talis conſuetudo, quamvis ſit
conformis Canonibus, ac mori Eccleſiaſtico
graueſ obligationem non inducit. Ità Gualterus
*in Rubr. Miſſal. tom. 1. part. 3. tit. 11. num. 4. Diana
part. 3. traſſ. 2. reſol. 8. contra Peregrinum*
Franc. de Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 5. quaſt. 2.
num. 21.

In Religionibus, vbi regulæ ad mortale non obligant, si nulla detur obligatio canendi Missam solemnem nisi regulæ præscribentis, vel inde provenientis consuetudinis: non committitur lethale peccatum, quando talis Missa cantari solita vel diebus omnibus, vel festis, interdum omittatur, etiam ex negligentia. Sicubi tamen regula præscribens talem Missam obliget sub mortali: iure damnabitur peccari lethalius Prælati, qui per negligentiam omiserit.

PROBL. XXXVIII.

*In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis,
quando casus occurrit, debent, & non
debent due Missæ cantari, de festo sci-
licet, & de feria.*

Cantari non debent. Quia Missalis Rubrica in hac parte strictè non obligat. Sic Castaldi. in praxi ceremonial. lib. 2. sect. 6. cap. 3. debet.

Debent cantari. Quia sic Rituum Congregatio verbis hifce præfcribit. *Tantum de re* 296
graviffima ftatuit fæcra Congregatio, Miffam de *Debent can-*
Feria privilegiata in Cathedralibus, & Collegia- *tari.*
tiis nullatenus omitrendam effe; fed omnino ad-
ftantibus Canonicis, & assignata distributionum
portione cantandam effe poft Nonam: non obftan-
te quacumque confuetudine contraria, quam ead-
em fæcra Congregatio fufcilit, & in pofterum
admitti vetuit. Ita Gauant. in Comment. ad
Rubrica

Rubric. Missal. tom. 1. part. 3. titul. 10. numero 8. & 11.

297 Scio, Dianam part. 2. tract. 14. resol. 76. indicasse, de praefata Cardinalium declaratione haud satis constare: nec proprio iudicio decidere, quoniam harum sententiarum tenenda sit. Ego autem in secundam inclinor, cum in Bulla Pij V. quae praeceptum continet, penas legem contra a gentibus Ecclesiarum Praepositis indici.

PROBL. XXXIX.

Debent, & non debent praefatis diebus in Ecclesiis Regularibus etiam duae Missae cantari.

298 **D**ebent planè. Quia Ecclesiae Regularium Collegiatae vocantur, & reputantur iuxta Romanum responsum, & morem: sed omnes Collegiatae Ecclesiae iuxta Missalis Rubricam, & praefatam Problem. 38. Cardinalium declarationem, ad duas Missas illis diebus decantandas tenentur: Ergo tenentur pariter Regularium Ecclesiae. Sic Zamora in Ceremon. lib. 1. glossa 4. Alcocer tract. 1. glossa 3. Portel. in dubiis Regul. v. Missa, num. 7. Zipæus in consultat. lib. 3. consult. 2.

299 **N**on debent. Quia Rubrica Missalis, & declaratio Cardinalium Problem. 38. relata loquuntur de Collegiatis Ecclesiis simpliciter: At Ecclesiae Regularium nec vocantur, nec reputantur simpliciter Collegiatae saltem in onerosis: ut declarat Ceremoniale Minorum editum Congregationis Toletanae auctoritate. Sicut enim Ecclesiasticorum nomine Religiosi non comprehenduntur in odiosis: sic Ecclesiarum Collegiarum nomine quoad hoc onus Monasteria non veniunt. Ita Manuel tom. 1. Regul. 99. quest. 43. art. 12. Villalob. tom. 1. tract. 8. diff. 19. num. 4. Hieron. Rodrig. resol. 25. n. 10. Diana p. 6. tr. 8. resol. 11.

300 **R**em iudico utrumque satis probabilem. Quid ex praxi id autem probabilius sit, ex praxi praesertim ediscendum.

PROBL. XL.

Feria quinta Maioris Hebdomadae licet, & non licet Sacerdoti cuilibet celebrare.

301 **N**on licet. Quia Ecclesiae consuetudo id nobiscum. Solent enim ab antiquis temporibus omnes Presbyteri de manu sui Pastoris Eucharistiam accipere: nam Christus Dominus primam eo die Missam celebravit, & Apostolis Eucharistiam distribuit. Sic Francolin. lib. de Horia Canon. cap. 30. Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 9. & Azor. tom. 2. lib. 10. cap. 24. q. 5. dicunt, talem consuetudinem esse seruandam, quia videtur vim legis obtinuisse, praesertim in aliquibus Conuentibus. Et Periclus de Offic. Sacerd. lib. 1. dub. 6. num. 40. restatur, sacram Rituum Congregationem decreuisse, ut eo die cunctis in Ecclesiis unicum sacrificium celebraretur.

Licet omnino. Quia id nullo praeecepto prohibetur, nec ad prohibendum nulla ratio cogit. Et quidem praeeptum scriptum non datur, ipse Francolinus ingenuè profitetur. Consuetudo verò non obligat. Nam ut consuetudo vim habeat legis, oportet, ut sit omnium, & non solum aliquorum. Haec autem consuetudo non est vniuersalis; licet enim multi Sacerdotes eo die non celebrent: alij tamen plures docti, ac Pij sine scrupulo celebrant. Unde colligo, decretum illud Congregationis Rituum non fuisse receptum. Ita Sotus, Angles, Nauar. quos sequitur Suar. dist. 80. sect. 2. Valsq. dist. 232. cap. 2. Filiuc. tract. 5. num. 105. Henric. lib. 9. cap. 24. n. 3. Coninch quest. 83. num. 210. Card. de Lugo dist. 20. num. 14. Diana part. 6. tract. 6. resol. 19.

Idem assero, monens, licere quidem eo die celebrare antequam Campanae illigentur, vel antequam Missa solemnis finiatur, & Corpus Christi in designato recondatur loco. Nam postea iam incipit Officium Parasceue, quo celebrare non licet.

PROBL. XLI.

Requiritur, & non requiritur Praelati licentia, ut quis possit Feria quinta in Cena Domini celebrare.

Potest quilibet Sacerdos eo die celebrare, sed ut rite gerere possit, debet Praelati obtinere facultatem. Quia id saltem obtinuit Ecclesiae consuetudo. Sic Sotus in 4. dist. 43. q. 2. art. 2.

Ut rite gerere possit, non requiritur prius licentiam Praefuli obtinere. Quia cum celebratio nullo iure prohibetur, non est cur ad celebrandum requiratur. Praelati facultas. Ita Valsq. dist. 232. cap. 2. Guriel. 1. Canon. 99. cap. 30. num. 36. At Suar. dist. 80. sect. 2. Filiuc. tr. 5. num. 105. & Fagund. prac. 1. lib. 3. cap. 15. n. 14. requirunt, ut excludatur scandalum, siubi datur, vel propter pusillorum ignorantiam, vel propter aliquam consuetudinem.

Ego quidem assero, licentiam iure communi minime requiri. At ex speciali alicuius Ecclesiae dispositione, praesertim Regularis poterit esse necessaria. Raro vero (ni fallor) imponitur praeeptum rigorosum, vel consuetudo sub obligatione praeepti circa rem hanc urgebit. Attendendus tamen erit cuiusque Religionis stylus. Raro quoque sequeretur scandalum, si praxis recepta seruetur.

PROBL. XLII.

Sabbatho Sancto licet, & non licet ultra Missam solemnem, plures alias primatas celebrare.

Minimè licet. Quia ius antiquum prohibens celebrationem in Sabbatho Sancto, nisi quoad Missam solemnem. Ergo quoad alias Missas adhuc obligat. Et quia pro Missis privatis non habetur introitus, sicut in Pentecostes Vigilia habetur: Ergo signum est, noluisse Pontificem,

Seccio II. De Missa, Problemata. 129

Missam, eo die Missas priuatas celebrari: sed solam solemnem, cui Prophetia pro introitu deferuunt. Sic Francolin. l. de Horis Canonio. cap. 36. num. 8. & 9. Valsq. dist. 232. capite 25. num. 88.

Licet planè. Quia ratio, cur olim fuerit prohibitum, eo die celebrare, Cap. Sabbatho, cessauit omnino, non solum in particulari, sed etiam in generali. Quoties autem ita cessat finis & ratio legis, cessat pariter eius obligatio, ut ex materia de legibus tom. 1. vidimus. Ergo cessauit iam eius prohibitio. Maiorem expono: nam olim per totum Sabbathum Ecclesia representabat Christum mortuum, ac sepultum, usque ad noctis initium. Etenim quamuis Suardus, Valsquez, & Fagundez putant, Missam solitam fuisse dici post mediam noctem, verè dicebatur post solis occasum ad noctis initium, ut docent D. Thom. 3. part. quest. 83. art. 2. ad 4. Ordo Roman. Raban. Hugo Victor. Microlog. ex quibus Cardin. de Lugo quest. 20. num. 16. palam ostendit, usque ad noctis initium fieri olim prohibitionem, & non solum Missam solemnem, sed alias priuatas potuisse celebrari. Sed iam nunc Missa solemnis fit ante meridiem, & incipit Resurrectionis celebritas. Ergo sicut olim licebat priuatim celebrare post noctis initium, quando Domini Resurrectio celebrari ceperat, ut palam habetur in Micrologo c. 53, sic etiam nunc licebit; quia tota prohibitionis ratio ex tunc cessare incipit. Ita Hurtad. Fagund. Sylui. Mercer. Sotus, quos sequitur Auerla quest. 11. sess. 15. Suard. Filliuc. Gutier. Martinon. Coninch. Card. de Lugo, quos sequitur Franc. de Lugo de sacram. lib. 5. c. 5. n. 33. Diana p. 2. ar. 14. resol. 21. & p. 4. ar. 2. resol. 237. Scriptoria de Euchar. lib. 2. c. 6.

Idem assertor ex praxi recepta, quam relati Doctores in diuersis regionibus scribentes uniformes affirmant, ubique videntibus, nec contradicentibus Prelatis, esse receptam. Quare contraria consuetudo videtur iam penitus abrogata. Itaque censuimus, prohibitionem iuris cessasse saltem post inceptam Missam solemnem, & cymbala pulsata; quia iam tunc cessat tempus maioris; adhuc tamen attendendam esse singulorum locorum consuetudinem. Et certe apud nostrates generali more receptum est, ne plures Missas solemnes eadem in Ecclesia tali die celebrentur. Item ne Missa priuata publice in Ecclesia dicatur.

PROBL. XLIII.

Festum incidit in Sabbathum Sanctum: Missa priuata sunt, & non sunt publice dicenda.

Dicenda non sunt. Quia ius prauiderat hunc euentum, & non exceperat. Vnde anno 1606. festum Annuntiationis in Sabbathum Sanctum incidit, & consulti Doctores Salmanticenses & Vallisoletani, ubi tunc aderat Curia Regia, decidere, non fore publicè permitendas Missas priuatas, etiam si populus non posset commodè Missam audire solemnem; subindeque non fuisse permissa ibi, nec alibi, quod

innotuerit. Sic Henric. lib. 9. cap. 24. num. 3. li. B. Valsq. dist. 232. cap. 2. Villalob. lib. 1. tr. 8. dub. 2. num. 4.

Dicenda sunt. Quia licet ius (si detur) hunc casum non exceperit, prudenter colligitur benigna circa eum ad solatium fidelium Ecclesiarum voluntas. Et quia nulla subest Ecclesiarum prohibitio, sed solummodo consuetudo. Vnde cum anno 1617. festum Annuntiationis in Sabbathum Sanctum incidisset, plures Missae fuere in Ecclesiis singulis Diocesis Tolitanae. Ita Sylui. 3. part. quest. 83. art. 2. Molles. in sum. tom. 2. tr. 3. cap. 17. num. 41. Petr. Ledesmi. in sum. tom. 1. tr. de Euchar. c. 19. concl. 5. Moure 3. part. cap. 5. §. 5. num. 2. Diana part. 2. tract. 14. resol. 21. Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de Missa quest. 2. dub. 2.

Crediderim utramque sententiam satis esse probabilem: primæque Auctores, qui putant iuris prohibitionem adhuc durare, consequenter decidisse, quia ius prauiderat hunc euentum, & non exceperat; similiter Doctores secundæ satis consequenter processisse negando Ecclesiarum prohibitionem, solamque ad consuetudinem attendendo, quæ pro tali casu non obligat. Adhuc tutius existimo superiorem consulere, cuius erit perpenis circumstantiis prudenter decernere, quod magis expediat. Sic monet. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 24. §. 4.

PROBL. XLIV.

Si Sabbatho Sancto, dicenda sint publice, alia Missa priuata: hæc possunt, & non possunt, antè solemnem celebrari.

Non possunt antè solemnem Missam dici. Quia adhuc durat maioris tempus, & nondum cepit Resurrectionis Dominicæ solemnitatis, ob quam cessat prohibitio. Sic Azor. tom. 1. lib. 10. c. 24. quest. 4. & alij.

Possunt dici antè Missam solemnem. Quia postquam anticipata fuit Missa, quæ olim noctis initio dicebatur, ad horam solitam aliorum dierum ieiunij, quibus Missa cantatur post Nonam: eadem videtur esse ratio de hac Missa ac de cæteris; nam in Missali solum dicitur, quod post Nonam Missa cantetur. Ergo sicut aliis diebus Missa priuata dici potest antè nonam, dici poterit & Sabbatho Sancto saltem ex causa, nimirum, ut qui non possunt expectare Missam solemnem, priuatam exaudiant. Confirmatur ex vsu priorum virorum, qui priuatim absque scrupulo summo manè celebrant. Ita Hurtad. de Missa dist. 4. diff. 3. Card. de Lugo dist. 20. n. 23. Diana p. 4. ar. 4. resol. 237. Martinon d. 40. num. 5.

Dixerim, totam hanc rem multum pendere à consuetudine, quæ non est ubique prorsus eadem, ut constat ex Doctoribus, & tamen maxime debet attendi, ne sequatur scandalum, quod difficile vitatur, violando mores receptos. Certè posse Missam priuatam antè solemnem dici, si subsit causa, & talis vigeat consuetudo, nemo negare potest, qui nolit tot viros pios & doctos culpæ vel ignorantia damnare. Causa item sufficiens est, ut detur viaticum moribundo, & ut audiant sacrum, qui non possunt adesse solemni.

PROBL.

PROBL. XLV.

*Parochus die Natalis Domini tenetur,
& non tenetur tres Missas
celebrare.*

316

*Tenetur, tres
Missas cele-
brare.*

Nillum est praeceptum dicendi, vel audien-
di tres Missas Natalis Domini die, unde
sufficit Sacerdoti unam dicere, & laico unam
audire. Quaesiverim tamen, utrum Parochus te-
neatur tres Missas dicere? Tenetur quidem ce-
lebrare tres Missas ordine in Missali praescripto.
Quia multi fideles eo die volent tres Missas au-
dire, nec debent debitis suffragiis, ac deuotione
fraudari. Sic Henricus lib. 9. cap. 30. num. 6.
Probabile reputat, & sequitur Bonacin. dist. 4.
q. ult. punct. 1. num. 10. Trullench lib. 3. decal.
cap. 1. dub. 5. num. 5. Miranda in Manua. part. 1.
quaest. 40. art. 8. Auersta de Euchar. q. 11. sect. 19.
§. Quia rursus.

317

Non tenetur.

Secluso scandalo, ac contemptu non tenetur
Parochus eo die nisi Missam unicam celebrare
sicut & reliqui Sacerdotes. Quia privilegium
est omnium Sacerdotum ter eo die posse cele-
brare: nullius tamen obligatio. Ita Fagund.
prae. 3. lib. 3. cap. 16. num. 2. Nald. v. Missa, nu-
mero 15. Probabile censet Trullench, & Bona-
cina supra.

318

Idem opinor.

Scio reliquos Doctores simpliciter asserere,
nullum esse praeceptum dicendi eo die, vel au-
diendi tres Missas. Unde existimo, nec offi-
cium Parochi, nec decimas, quas à fidelibus
accipit, obligare ad illam trinam celebrationem:
cum ipsi parochiani tres Missas non teneantur
exaudire.

PROBL. XLVI.

*Extra Natiuitatis diem potest, & non
potest Sacerdos Parochus non solum
duas, sed & plures Missas
celebrare.*

319

*Non potest,
dicere plures,
quam duas.*

Praxi receptum, Parochum coadiutore ca-
rentem & duas habentem Ecclesias diuersis
in oppidis, posse, imò debere duas Missas cele-
brare; ne alteruter populus festo die Missa pri-
uetur. Quaesiverim nūm possit plures dicere?
Minimè. Quia Pontifex solum praescribere
videtur, ut duas Missas diuersis in Oppidis ce-
lebrat. Cap. Consultuisti, de celebr. Missar. Sic
Palud. in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 4. Sorus dist. 13.
quaest. 2. art. 2. Durand. de ritib. lib. 2. cap. 7. Syl-
uest. v. Missa l. quaest. 7. Henricus lib. 9. cap. 30.
num. 7. Fagund. prae. 1. lib. 3. cap. 16. Qui qui-
dem ob nullam necessitatem sapius quam bis
in die celebrari licere affirmant.

320

*Potest sapius,
quam bis co-
lebrare.*

Sapius quam bis in die celebrari licet, si cau-
sa necessitatis suadeat. Quia iura de plurali-
tate loquuntur indifferenter, urgente necessi-
tate: ac per consequens eadem proportionalis
necessitas, quae sufficeret ad secundam Missam
dicendam, sufficeret ad tertiam; cum lex, & ex-
ceptio sit eadem. Ita Suar. dist. 80. sect. 3. Laym.
lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 6. Coninch quaest. 83.
num. 213. Filliuc. tract. 5. num. 109. Manu. sum.

tom. 1. cap. 247. num. 5. Lugo dist. 20. n. 47. Auersta
q. 11. sect. 15. §. Excipitur.

Reor primam sententiam debili niti fun-
damine. Quoniam consultus Pontifex, utrum
Presbyter duas Missas in eadem die valeat
celebrare? (ut ex integra Decretali constat) re-
sponderet, quod excepto die Natalis Domini-
ca, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacer-
dote, semel in die celebrare. Vbi quidem non
negat, sapius quam bis celebrare licere, quoties
par necessitas urgeat, sapius celebrandi; nimi-
rum si Parochus, cuius Coadiutores subito
morbo correpti sunt, tres Ecclesias habeat, in
quibus omnibus sit Missa dicenda. Commu-
niter tamen non occurrerit ita facile neces-
sitas dicendi tertiam Missam, quam secun-
dam.

321

PROBL. XLVII.

*Diebus profestis Parochus potest, & non
potest, duas Missas in Ecclesiis, quas
habet, diuersis celebrare.*

Minimè potest. Quia ut deuotioni popu-
lorum satisfaciatur sufficit, ut alternis die-
bus profestis Parochus in singulis Ecclesiis sa-
crificet. Sic Villalob. tom. 1. tract. 8. diff. 21.
n. 5. Nuñus 3. p. tom. 1. q. 83. art. 2.

322

Potest omnino, quando suppetit in vtraque
Parochia sufficiens populi multitudo, quae velit
illis diebus sacrum audire. Quia tunc videtur
causa subesse sufficiens celebrandi sapè, ne sci-
licet populus illis diebus suo sacrificio priuetur,
& audiendi Missam opportunitate. Ita Suar.
dist. 80. sect. 3. Manuel tom. 1. cap. 247. num. 5.
Ioan. de la Cruz in Direct. part. 2. de Missa,
dub. 3. concl. 2. Hurtad. de Missa, dist. 4. diff. 3.
Martinon tom. 4. d. 40. n. 7.

323

Licet Nuñus citatus asserat hanc sententiam
esse improbabilem, satis esse probabilem reor.
Moneo tamen, attendendam esse cuiusque Dio-
cesis consuetudinem, ac Synodales constitutio-
nes, quae solent dies aliquos etiam profestos af-
signare, quibus liceat talibus Parochis, duas di-
cere Missas; aut consulendum esse Praelatum,
sine cuius consensu non consuletem id fieri,
quando nec adest recepta consuetudo, nec con-
stitutio concedens: & multò minus si probi-
bens consuetudo extet.

324

PROBL. XLVIII.

*Licet, & non licet, post sumptam ablutio-
nem dicere secundam Missam ad
moribundo Eucharistiam
ministrandum.*

Ne moribundus sine viatico decedat, posse
dicere secundam Missam sect. 1. vidimus. Non potest
Porro si Sacerdos moneatur de moribundi ne-
cessitate consecrata iam hostia, sed nondum
sumpta: debet partem hostiae referuare. Si ve-
rò hostiam sumptam, & ablutionem: non potest
non ieiunus Missam alteram dicere. Quia prae-
ceptum naturalis ieiunii efficaciter instat. Sic
Martinon dist. 40. num. 12. Auersta q. 11. sect. 15.
&c.

325

Sectio II. De Missa, Problemata. 131

& alij apud Franc. de Lugo de Sacram. lib. 5. c. 5.

petitionem cum secunda sententia Doctoribus opinor.

PROBL. L.

Quando Nuptiae benedicendae sunt, & Parochus iam fecit sacrum: potest, & non potest alterius Missae celebrationi operam dare.

Parochus iam fecit sacrum, & Nuptiae benedicendae sunt. Poteritne aliam Missam ad benedicendas Nuptias celebrare? Poterit quidem. Quia benedictio Nuptiarum magni momenti est, & quae non semel ad necessitatis accurat instantiam. Sic D. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 6. §. 4. Paludan. in 4. dist. 12. quae. 1. art. 4. Henric. lib. 9. cap. 30. n. 7.

331
Poterit ite-
rum celebra-
re.

Minime poterit. Quia fere nunquam contingit, ut ita subito Nuptiae contrahantur, quin Parochus antea possit admoneri. Et si casus datur, benedictio nuptialis tanti non refert, ut tam graui praeepto praeponderet. Ita Coninch q. 83. n. 214. & Doctores communiter.

332
Non poterit.

Hunc casum reiciendum existimo. Nam ceteris de causis, casum interdum contingere, nec posse Nuptiarum benedictionem in sequentem diem differri si una illa Missa non possit & Nuptiis & populo deferuire, quia fero Parochus fuit admonitus, vel cum incommodo Nuptiae differenda, ne tam graue praeeptum violetur.

333
Cum his sen-
tiat.

PROBL. LI.

Templum exiguum in festo solenni semel non capit populi multitudinem: Tunc potest, & non potest vnicus Sacerdos vnā, & alteram Missam celebrare.

Potest profecto. Quia necessitas videtur sufficiens, ne pars populi sine Missa merens decedat. Accedit auctoritas Pontificia, Leo enim epist. 81. c. 2. dicit posse in hoc casu saepe celebrari. Sic Durant. lib. 2. de ritib. c. 7. Moure part. 3. cap. 5. §. 7. num. 5. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 6. Coninch quae. 83. numero 216. Martinon dist. 40. num. 12. Probabile dicit Salar. dist. 80. sect. 3.

334
Poterit quā-
dam.

Non potest. Quia quod multi non audiant sacrum videtur esse minoris momenti, quam sit violatio legis, quae iam tam strictè seruatur: Si quidem multis in pagis frequenter diebus festis contingit, ut multi nequeant audire sacrum, eo quod vnica Missa dicatur, cui sancti simul interesse non possunt, & tamen Praelati malunt, hoc permittere, quam concedere, ut Parochi bis eodem die celebrent. Adde, forsan Pontificem de eodem Sacerdote non loqui. Ita Manuel in sum. tom. 1. cap. 247. num. 5. & innuit Suar. ubi supra.

335
Non potest.

Potè hic casus rarissimus erit in praxi. Nam in hisce solemnitatibus communiter copia adest Sacerdotum. Si verò desit, & vnicus adsit, celebrati assolet ad Templi ostium super aram portatilem, ut omnes valeant exaudire. Quod si commodè nequeat fieri sacrum extra Templum.

336
Quid gerē-
dum, existi-
mum.

M. p. 131

PROBL. XLIX.

Propter defunctum parochianus Missam dici petit, potest, & non potest Sacerdos vnā, & alteram Missam de die, alteram pro defuncto illo celebrare.

Potest profecto ex eo solum, quod parochianus Missam pro defuncto vita petat, bis celebrare. Quia cap. Sufficit, de consecrat. dist. 1. conceditur, vnā Missam fieri de die, alteram pro defunctis, si necesse fuerit. Sic Paludan. in 4. dist. 12. quae. 1. art. 4. Glossa in cap. Consuluit, de celebr. Missae.

Minime potest ob solam parochiani petitionem, vnā, & alteram celebrare Missam. Quia Pontifex etiam in cap. Sufficit, requirit necessitatem, dicens: Si necesse fuerit. Et multò magis in cap. Consuluit. Sola verò petitio parochiani necessitatem non inducit. Suar. dist. 80. sect. 3. Vasquez dist. 232. cap. 5. Diana part. 2. tract. 14. resol. 56. & Doctores communiter.

Certe Paludanus non loquitur de petitione parochiani, sed in casu, quod finis cum Missa de Requiem fieri solet. Profecto si hic casus acciderit, in primis quando praefixum fuit ante primam Missam, debet Parochus non celebrare, sed expectare cadauer, ut semel celebrando funeri satisfaciatur. Deinde si dicta prima Missa, nec dum sumpta ablutione, repente nunciatur, vel adducatur cadauer, ubi consuetudo vel constitutio Synodalis habet, ne quis sine Missa sepeliatur, Ledesma 2. quae. 14. artic. 2. Tabien. v. Missa, num. 42. & alij dicunt, posse secundo celebrari, dum non adsit alius, qui celebret: quod cum Filiucio tract. 5. n. 110. probabilè existimamus. At circa parochiani

Escol. & Mend. Theol. Moral. T. III.

SCOBAR
Theol. Moral.
Tom. II. IV.
F. IV.

plum, ob Leonis Papae auctoritatem poteris in praxi partem affirmatiuam sectari. Nam verè Pontifex de pluribus Missis (P. Suafij venia) ab eodem Sacerdote dicendis loquitur: quippe cum de pluribus dicendis à multis non erat dubitandi ratio, nec ad id requiritur populi multitudo.

PROBL. LII.

In die festo post factam consecrationem, & ante sumptam ablutionem, superuenit peregrinorum copia, vel Antistes, vel Magnates, qui non habent alium Sacerdotem, à quo Missam audiant: Tunc, ablutione non sumpta, potest & non potest Sacerdos alteram Missam celebrare.

337
Potest quidem.

Potest profecto. Quia incommodum est, multos sine Missa peregrinos recedere, & Praetulis Magnatumque auctoritatem decet speciali eo privilegio frui. Sic Tolerus lib. 2. cap. 3. num. 4. Henric. lib. 9. cap. 30. num. 7. Fagund. praef. 1. lib. 3. cap. 16. num. 6. Coninch quaest. 83. num. 215. Monens, id minime geri posse, si sit exigua peregrinorum multitudo. Nec enim tam incommodum est, paucos aliquos non audire sacrum etiam die festo, quam generalem Ecclesiae consuetudinem non celebrandi bis, violari.

238
Non potest.

Verè non potest. Quia parvi refert, eo die sine Missa manere siue Praetulem, siue Magnatem, siue peregrinos, qui tam serò accedere, ut illis imputetur ad culpam, si se tali periculo probabiliter exposuerunt, quamvis postea Missam audiant: vel sine culpa sint, si prudenter existimarunt, se opportune peruenturos. Nec Episcopi deuotio vel congruentia Missam audiendi tanto praeeptum praeponderat. Ità Salzedus in praef. cap. 4. Manu. in sum. tom. 1. c. 247. concl. 7. Martiñon dist. 40. num. 13. Card. de Lugo d. 20. n. 45. & alij.

339
Hic mihi probabilius.

Hanc partem probabiliorē puto. Nam si ad obligationem audiendi Missam attendo, si ob negligentiam deliquere illi, etiam si Missam postea audiant, rei esse non desinunt: si non deliquerunt, sufficienter iam ob Sacerdotis impotentis celebrare defectum excusantur. Vnde non video vnde tam celebris Ecclesiae consuetudo possit omitti, quia deuotionem minime sufficientem esse prorsus affinito.

PROBL. LIII.

Concurrunt eodem die duae Missae dicendae una de festo, altera de Vigilia, vel Rogationibus, vel defunctis, & non est nisi vnicus Sacerdos: tunc ab eodem Sacerdote possunt, & non possunt duae Missae celebrari.

340
Potest quidem.

Potest quidem. Quia nullus occurrit casus maioris necessitatis moralis, de quo procedat textus in Cap. sufficit, de consecrat. dist. 1.

dicens, in casu necessitatis licere facere Missam vnam de defunctis, & alteram de die, Sic S. Antonin. Tabiena, quos sequitur Henric. li. 9. c. 30. num. 7. Fauer D. Thom. 3. part. quaest. 83. art. 2. ad 2. Et quidem Suar. d. 80. sect. 3. & Filiuc. tract. 5. num. 110. id licere docent, si sit dies Paschae, vel similis, in quo dici debeat Missa pro defunctis, & vnicus adsit Sacerdos.

Minimè potest. Quia insufficiens causa haec ad iterandam celebrationem est reputanda, Non potest. Cum enim vnicus adest Sacerdos, sufficit Missam dici iuxta maiorem obligationem: minorem verò vel differri, vel omitti. Quod si dies sit valde celebris, non decet fieri sacrum de Requiem, sed in sequentem diem erit differendum. Si verò dies festus non sit ita celebris, nullum est inconueniens, non fieri sacrum de festo, praferim in tanto Sacerdotum penuria. Ità Vasquez dist. 23. n. 49. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 6. Coninch q. 83. num. 216. Auerla q. 11. sect. 15. Plures autem. Card. de Lugo d. 20. n. 45.

Idem asserendum mihi existimanti, si textus in cap. Sufficit de tali casu loquatur, moderna Ecclesiae praxi repugnare. Vel ergo diuersus est casus illius Capituli, ut indicant illa verba, si necesse fuerit; vel olim erat facilius permissio, fixius in die celebrandi, quam modo, ut Victoria de Euchar. quaest. 96. annotauit. Quapropter iuxta praesentem Ecclesiae morem hunc casum non admiserim.

PROBL. LIV.

Expectandum est, & expectandum non est Aurorae initium ad Missam inchoandam.

Vidimus sect. 1. Missam priuatam quacumque hora ab Aurora usque ad meridiem dici posse ex Missalis Regula tante Missae priuatae quacumque hora ab Aurora usque ad meridiem dici potest. Quae si fieri autem, num possit Missa ante Aurorae initium inchoari an sit expectandum eius initium? Expectandum quidem. Quia terminus incipiendi Missam iuxta illam praescriptionem est Aurora. Non ergo poterit prius inchoari sine privilegio, vel iuxta ex causa. Sic Vasq. d. 23. n. 27.

Non expectandum. Quia res moralis haud est mathematicè mensuranda. Quare sufficit, ut aliqua pars Missae post Auroram dicatur. Et si per semihoram ferè fuerit antea inchoata. Ita Victor. num. 97. Reginald. lib. 29. num. 173. Bonac. dist. 4. quaest. ultim. punct. 9. num. 2. Henric. lib. 9. cap. 24. n. 5. Suar. dist. 80. sect. 4. Card. de Lugo d. 20. n. 33.

Profecto, me auctore, sufficit, ut pars aliqua Missae post Auroram dicatur: & ut Missa inchoetur ante meridiem, etsi maior eius pars dicatur ante Auroram, & post meridiem. Sic assignantur isti duo termini, scilicet, Aurora, & meridies, ut non tota Missa, sed aliquid illius debeat intra illos contineri.

PROBL.

PROBL. LV.

Natalis Domini die omnes tres Missæ possunt, & non possunt, noctu celebrari.

³⁴⁶ *P*rimam Missam dici posse mox post mediam noctem, praxis Ecclesiæ obfirmat. Rogas, an omnes tres Missæ possint noctu dici? Non possunt. Quia Rubrica Missalis præscribit, ut prima Missa dicatur in nocte, secunda in Aurora, tertia in die. Et quia in ipso Missæ Canone pro prima dicitur: *Communicantes, & non-tem sacratissimum celebrantes*: pro aliis vero duabus: *Et diem sacratissimum celebrantes*. Sic Sylvest. Angel. Atmil. Tabic. v. *Missæ*. Sorus, Nauar. Richard. quos sequuntur Hentiq. lib. 9. cap. 24. num. 5. Fagund. prac. 1. lib. 3. cap. 16. n. 3. & 17. n. 2. Bonac. d. 4. q. ult. punct. 9. n. 5. Nuius p. 3. q. 83. art. 2.

³⁴⁷ *P*ossunt sane. Quia re huiusmodi Missarum in iure non prohibetur. Quin potius Thelephor. Papa, cap. *Noctæ sanctæ* in plurari dicit: *Noctæ sanctæ Nativitatis Missæ celebrent Presbyteri*; quod non solum referri potest ad plures Sacerdotes, qui singuli possint vnam Missam celebrare; sed etiam ad singulos, ut quilibet Missas celebrare valeat. Et Platina in vita Thelesphi. sic ait: *Statuit, ut in Natali Iesu Christi noctu tres Missæ celebrentur*. Itā Suar. dist. 80. sect. 4. Vaquez dist. 23. num. 32. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 2. Reginald. lib. 29. num. 174. Coninch quest. 83. num. 218. Card. de Lugo dist. 20. num. 15. Diana part. 2. tract. 14. resol. 35. & p. 4. tr. 4. resol. 236.

³⁴⁸ Hoc certum habeo ex consuetudine sic iam recepta tam in Vibe oculis summi Pontificis: quam in toto fere orbe; ut non possit de huius sententia veritate nunc temporis dubitari. Congruentia iuvat. Nam in tanta multitudine Sacerdotum vix possent omnes ter in die celebrare, quæ tunc est brevissima: nisi per noctem etiam, quæ longior est, à multis plures Missæ celebrarentur.

PROBL. LVI.

Potest, & non potest Missa ante Auroræ initium integrè sine licentia celebrari, ad communicandum infirmum aliqui forsan sine viatico moriturum.

³⁴⁹ *V*t possit quis ante Auroræ initium integrè celebrare, necessitas sufficit: scilicet, quoties necessarium id esset, ad præstandam moribundo Eucharistiam, aliqui fortasse sine viatico excessuro. Quia nec consuetudo nec præceptum Missalis obligare censetur cum tanto rigore, ut non sit maioris momenti succurrere moribundo, quam ad celebrandum, lucem expectare, uti scilicet. 1. vidimus. Quæritur verò nun ad id gerendum, superioris licentia requiratur?

³⁵⁰ Requiritur quidem. Quia res gerenda prorsus contra Ecclesiæ consuetudinem: res autem huiusmodi haud debeat sine Præfatus facultate *Eschob. & Mend. Theol. Moral. T. III.*

exeri. Sic Alexand. Angel. Sylvest. apud Vafq. dist. 23. num. 29. Porro Nauar. cap. 25. num. 85. Moure part. 3. cap. 5. §. 4. num. 1. Manuel tom. 1. sum. cap. 248. num. 1. & Azor. tom. 1. lib. 10. c. 25. quest. 7. asserunt adhuc superiore absente requiri episcopiam, argumento cap. *Quod non est, de regulis iuris*.

Nullatenus licentia requiritur; ob solam moribundi necessitatem potest Missa antelucana celebrari. Quia ipsa moribundi necessitas per se satis excusat. Itā S. Antonin. Palud. & Grabri. quos sequitur Vafquez citatus. Hentiq. lib. 9. cap. 24. num. 5.

³⁵¹ Scio hanc doctrinam ab aliquibus limitari, ut non liceat statim post mediam noctem, sed parum ante lucem. Fagund. prac. 1. l. 3. c. 17. n. 15. Bonac. d. 4. q. ult. punct. 9. n. 3. At absolute dicunt in hoc casu nocte, vel ante lucem celebrari posse Sylvest. v. *Missæ* q. 6. Nauar. vbi supra. Et Card. de Lugo d. 20. num. 26. & Manuel tom. 4. sum. de *Missæ* c. 5. 1. concl. 17. docent, quamcunque limitationem esse reiiciendam, quia nulla ratione fundatur. Ideo posse media nocte ob moribundi communionem celebrari affirmant Laym. lib. 5. tr. 5. c. 4. n. 2. & Diana part. 2. tract. 14. resol. 33. Tunc enim etiam præponderat moribundi necessitas, qui si diutius expectet, forsan sine viatici subsidio discedet.

PROBL. LVII.

Licet, & non licet, post meridiem celebrare hora tertia.

³⁵³ *C*irca terminum meridianum Q. Thom. 3. p. q. 83. art. 2. ad 3. docet, diebus festis celebrari Missam hora tertia, quæ huius crucifixus fuit Iudæorum linguis; diebus profestis hora sexta, quia crucifixus fuit manibus militum; diebus ieiunij hora nona, quæ expiravit in Cruce. Quæritur itaque num post meridiem liceat celebrare.

³⁵⁴ Perfecto tempus celebrationis usque ad horam nonam potest extendi, id est, usque ad horam tertiam post meridiem paulo magis aut minus, diuidendo tempus diurnum in horas duodecim. Quia sacrificium inuentum debet cruento respondere, quod hora nona Christi morte fuit consummatum. Et quia non est ratio nec textus prohibens ieiunio (quando sine scandalo potest) facere sacrum circa nonam horam; & generalis Ecclesiæ consuetudo contraria non videtur causa Religionis fuisse introducta, sed ob hominum fragilitatem non valentium tamdiu perferre ieiunium. Quare non censeri debet obligationem induxisse, sed fauorem, cui quilibet renunciare possit. Sic S. Antonin. Durand. Scor. Durant. Richard. Paludan. Pirigian. apud Auerl. de *Missæ* quest. 11. sect. 5. §. 9. Quinto ex Llamas in *Method. part. 3. cap. 5. §. 28. Salzed. in Practic. cap. 26. num. 4. & Less. 3. part. quest. 83. num. 75. dicit, hanc sententiam haud esse improbabilem.*

³⁵⁵ Non licet post meridiem hora tertia celebrare. Quia licet nullus Canon expresse prohibeat celebrationem post meridiem, extat tamen generalis Ecclesiæ consuetudo confirmata Rubricis Missalis, & per consequens per summos

SCOBAR
Theol. Moral.
Tom. II. IV
F. IV

Pontifices approbata. Consuetudo verò vim legis habet, quando sic approbatur. Et quamvis ex hominum infirmitate coeperit introduci, continet reuerentiam sacrificij, cuius decentia congruit, ut ante prandium offeratur; sic enim tam ministrans, quam audiens deuotius assistent. Ita Maior, Scot. Francolin. quos sequitur Fagund. *prac. 1. lib. 3. c. 17. Suar. dist. 80. sect. 4. Valsq. dist. 232. cap. 4. Coninch quest. 83. num. 219. Henriq. lib. 9. cap. 24. num. 6. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 4. 3. Filliuc. tract. 5. num. 113. Bonac. dist. 4. quest. ult. punct. 9. num. 1 & 7. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 25. q. 2.*

356
Secundam
eligo partem.

Existimo primam sententiam non esse admodum improbabilem, quia & ratione nititur, & fulcitur auctoritate. At secundam iure praefero, quam hodie Missalis approbat, & communis sensus fidelium, quamque vberius confirmo. Nam Trident. *sess. 22. cap. de obseruand.* dum praefert, ne Missae celebrentur nisi debitis horis, plane per horas debitas intelligit eas, quas Missale praesignat, cum debeamus Missali conformari. Addo, priuilegia concessa Regularibus ad celebrandum per horam post meridiem, satis indicare, id sine priuilegio non licere. Non enim regulariter conceduntur ad sedandos dumtaxat scrupulos; sed ad aliquid vltra ius commune operandum; frustra quippe precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l. 1. c. de thesaur. cap. si Papa, de priuileg. ih. 6.*



CAPVT XX.

Circa celebrationis Missae locum.

PROBL. LVIII.

Licet, & non licet, in mari, vel flumine celebrare.

357
Licetum non
est.

LICITUM non est. Quia licet non inueniatur praecipuum scriptum, quod prohibeat huiusmodi celebrationem, consuetudine tamen longi temporis est introductum. Et quia tanti sacrificij reuerentia postulat summam cautelam ad euitandum profundendi sanguinis periculum: quod quidem in aquae motione tam facili, tamque frequenti vitari vix potest. In Rituali quodam approbato à Leone X. *1. part. tract. 4. cap. 35.* dicitur, *In loco fluctuanti, ut in mari, & fluminibus celebrare non licet alicui.* Sic Syluest. Angel. Armil. Palud. Sotus, Turrecrem. quos sequitur Henriq. *lib. 9. c. 27. n. 3. Tabie. Nauar. Tannez. Praeposit. Lezana. Molphee. Homob. Pingian. Chamero. Ledesin. Faust. & alij.* quos refert Diana *p. 5. tr. 3. resol. 40. Suar. d. 81. sect. 3. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 26. q. 6. Valsq. d. 232. n. 5. Filliuc. tract. 5. num. 16. Reginald. lib. 29. num. 168.*

358
Licetum est.

Licitum est. Nam olim in mari celebrari consuevit. S. Vualsianum in pelago celebrasse narrant Suri. *tom. 2. die 20. Martij.* & Baron. *tom. 8. anno 700.* Et quia celebrare Missam in mari contra ius naturale non est, nec contra diuinum, quod solum exigit debitam in celebratione re-

uerentiam. Potest autem in nauibus satis reuerenter, ac decenter celebrari, ut experimento ediscimus: Ergo non est cur hoc ex capite non liceat. Nec est contra ius humanum, cum nulum prohibens talem celebrationem repetitur. Nam illud Rituale non constat à Leone X. iussu approbatum: sed ad summum cum licentia produci ferens doctrinam tunc magis communem, & receptam. Ita Durant. in *Ration. lib. 4. cap. 1. n. 21.* Fatus, *Potest esse necessitas, ut Missa dicatur in mari.* Scot. *lib. 2. de Euchar. cap. 13.* ait, nunc in praxim esse deductum à Lusitanis, ut cessante periculo, Missam in mari celebrent. Laym. *tract. 5. cap. 5. n. 6. Granad. 3. p. controu. 6. tr. 14. d. 13. n. 2. Hurtad. de Missa, d. 4. diff. 5. Fagund. prac. 1. lib. 3. c. 10. Diana part. 5. tract. 3. resol. 40. Card. de Lugo d. 20. sect. 3. Auerla q. 1. sect. 14.* Et paucis retro annis consulti multi Doctores in celebrioribus Hispaniae Academiis huic sententiae subscribere.

359
Ego subscri-

Et ego subscribo, ratus, in mari reuerentiam tantam seruari posse, imò maiorem, quam in terrestri itinere (in quo iuxta communem Doctorum sensum extra locum sacrum licet in casu necessitatis celebrare) suppetit quippe communiter locus aptus, decenter ornatus, & dum à peritis naucleris non prauidetur tempestas, nunquam ita subitò furit, ut non prius Missa finire queat; si verò prauideatur, monetur Sacerdos, ne Missam inchoet. Assoler simul adesse alter Sacerdos, qui post consecrationem calicem manu teneat, ne cadat, aut moueatur: quo periculum effusionis, aut irreuerentiae proflus caueatur. Vfus etiam & experimentum multorum iam annorum ostendit, nullum subesse tali celebrationi periculum ex eis, quae timeri poterant, sed maxima inde commoda prouenire. Profecto Coninch *q. 83. n. 228.* putat, solum Papam posse licentiam concedere, ad celebrandum in mari. Auerla citatus requirit vel Papae vel Episcopi facultatem. At Fagund. *vbi* scilicet testatur praecessisse licentiam Clementis VII. & Pauli V. Addit Granad. Cyrenensem Episcopum vidisse Breue summi Pontificis, in quo declarabat, posse sine scrupulo Missam in mari celebrari. Verisimile putarim, alios Episcopos tam Castellanis, quam Lusitanis eandem licentiam concessisse, nec talem usum sine sufficienti capisse facultate. Rogatus verò summus Pontifex, ut eandem facultatem pro tritibus impetraret, illam abnegauit & merito; quia nec tritemes ita sunt aptae sicut grandiores naues, nec ita indigent, cum frequenter ad terram accedant, ubi possint nauis Missam commodius exaudire. Scio Dianam hanc licentiam ad dies festos limitare, reliquos absolute loqui, praxim autem etiam dies profectos comprehendere.

PROBL. LIX.

Mortale crimen est, & mortale crimen non est, extra locum sacrum sine necessitate celebrare.

Vbi non est vllus contemptus, vel scandalum lethale peccatum non est vel sine necessitate extra Ecclesiam Missam gerere. Quia dum habetur Altare consecratum, & debita seruatur reuerentia, sicut quaelibet honesta necessitas

360
Non est mortale.